







ORATIO
IN INTRODVCTIONE AC INSTALlatione Reuerendissimi, ac amplissimi Domini, D. VVolffgangi Gyuulay, Episcopi almæ Ecclesiæ Zagrabiensis digissimi.

Ibidem in templo Cathedrali, per Reuerendiß. ac eximium D. Paulum D. D. Lectorem, Canonicum ac Vicarium eiusdem Ecclesiæ Zagrabien. &c. in maxima doctißimorum uirorum, ac Optimatum Regni Sclauoniæ corona, populiq; frequentia habita. An. salutis nostræ 1549. Die 24. Februarij.



Georgij Petrovvinay Submontani Hexasticon.

Qui cupis eximij Lector pernoscere munus
Pastoris sacrum, pagina lecta dabit.
Contemplare lubens uenerandi Præsulis acta,
Et mores dignos posteritate lege.
Hunc canit Orator præcellens diuite lingua
Paulus, cum studijs tum pietate ualens.

Viennæ Austriæ Ioannes Carbo & Egidius Aquila excudebant, Anno 1549.


KAISERLICHE KOENIGLICHE HOFBIBLIOTHEK
WIEN

ORATIO.

POstquam Diuinæ bonitati atq; clementiæ ita complacuit, Reuerendiß. atq; ornatiß. Præsul, ut tu, omnium uotis iam diu desideratus, hodierna die Cathedram Episcopalem huius Ecclesiæ dignè & meritò conscenderis, uniuersa hæc Zagrabien. Ecclesia cum suo Clero, gratias inprimis immortales agit Deo optimo maximo, patri nostro cælesti, qui in hac etiam rerum omnium extrema calamitate locum hunc non omnino despexerit, sed pastorem ei miserit talem, qui in doctrina, & uita uerè christiana edificare Ecclesiam esset idoneus. Te uerò optime Antistes, primam hanc tuæ uocationis prouinciam ingredientem summa animi alacritate, lætitia, & gratulatione excipit, tuumq; ingressum modis omnibus faustum precatur & fœlicem, congratulaturq; tibi ex animo, de tam prospero rerum omnium successu, quo te nil tale meditantem, sed sua sorte contentum, & quasi inuitum, diuina dispositio ad supremum huius patriæ dignitatis gradum euexit: Sibi uerò ipsi usq; adeo uniuersa congaudet Ecclesia, ut si unquam dies aliqua eidem fausta fœlixq;, & albo signanda lapillo illuxerit, hanc profectò hodiernam fœlicißimam sibi atq; faustißimam, & aureo signandam lapillo aduenisse profitetur. De te enim multis argumentis, nil aliud, nisi quod de uero Episcopo sibi potest polliceri. Natus es nobili, eademq; generosa, & inclyta prosapia, iam à puero nobilißimis ad omnem pietatem, & uirtutem, doctrinis institutus, non te luxui, non inertiæ, non intempestiuis conuiuijs aut potationibus, non aleæ, non deniq; alijs huiusmodi uoluptatibus & illecebris dedisti corrumpendum: Sed ut primùm ex Ephebis, ut ille ait, atq; ex his studijs, quibus illa ætas ad humanitatem informari solet, excessisti, mox generosi animi ductu ad maiora aspirans, in celeberrima Patauinæ urbis Academia, ita liberalium artium studijs animum tuum excoluisti, ut iam tum omnes æquales tuos, sicut scientiarum gloria, ita etiam candida animi dexteritate, erudita pietate, incomparabi-

li modestia & fortitudine, plurimum antecellueris. Religionem deinde spiritu sancto suggerente amplexus, quantum in negotio Euangelico profeceris, quàm solidis uerae & diuinae sapientiae doctrinis animum tuum imbueris, mirari profectò potius ualeo, quàm eloqui, prout idipsum fatebuntur mecum omnes, qui de sacris aliquando & diuinis rebus tecum uerba fecerunt: Quibus demum honestissimis medijs factum existimamus, ut dignitatem Sacerdotij longè maximam Deo opt. dispensante gloriosè merueris. Multùm igitur tibi debet, debebitq; perpetuò, uniuersa Gyuulaynae familiae posteritas, quae solo tuarum uirtutum ductu atq; patrocinio consecuta est, ut multorum mortalium praeconijs in futuro aeuo efferatur atq; celebretur: Tu illi sydus praefulgens, tu decor, & gloria non immeritò appellabere: Conscendisti enim, quo nemo unquam ex Gyuulayna domo conscendisse legitur. Multum etiam tibi debet natale illud tuum solum, quo primum in lucem aeditus es, cui non secus ac septem illis Homericis urbibus, plurimùm decoris de tua stirpe ac origine est accessurum: Omnium tamen plus se tibi debituram existimat haec ipsa sponsa tua ecclesia Zagrabiensis, quae de te, ita nato, ita educato ac instructo, certissimè sibi persuasit, futurum te talem praesulem, cuius insigni uirtute, doctrina, probitate, locus quoq; iste non mediocrem sibi, etiam apud exteras nationes, laudem aliquando sit conciliaturus. Pauci admodum mortales extra Africam nouerant Hipponem, nisi illi praesedisset magnus pater Augustinus: Exigua certè esset extra Gallias Thuronis mentio, nisi incomparabilis uiri Diui Martini nomine foret illustrata: Nobilissima quoq; Mediolanensium ciuitas dubio procul obscurioris longè esset nominis, si praesulis sui Ambrosij, non esset decorata praeconijs. Multùm nominis addidit, sicut uniuersae Pannoniae, ita etiam ciuitati Quinq; Ecclesien. insignis illa doctrina & eruditio Iani Pannonij Praesulis: Ille etenim est Ianus, patrium qui primus ad Istrum duxit laurigeras ex Helicone deas. Quis obsecro, ut infinita alia praetermittam, quis inquam in his oris, nosset celeberrimam Cantuariensium in Anglia ciuitatem, nisi illam decorasset inclyta sancti Thomae pietas atq; memoria? Ita faxit omnipotens Deus, ut tu quoq; inclyte Praesul, locum hunc, quem diuina uocatione hodie conscendisti, tua praecellenti uirtute, singulari doctrina, & eximia probitate, longè reddas clariorem.

rem. Id quod procul dubio fiet, si tu, ut certò credimus, Christi domini ueri pastoris uestigia imitatus, uerè curaueris esse, quod diceris, & ueri Episcopi munus obire contenderis, reiectis illis uitijs, fastus, auaritiæ, ambitiõis, emulationis, & alijs id genus, in quæ heu retroactis aliquot seculis, dignitas hæc sacrosancta Episcopalis degenerauerat, ubi raro uel nunq̃ cognoscebatur, quid sit esse Christianum Episcopum, sufficiebat quibuscunq; tandem artibus titulum consequi Episcopalem, cætera in ditandis familijs, congerendis opibus, promouendis adulatoribus, pompa, & elatione consumebantur. Veri Episcopi proprium munus est, quemadmodum tu ex sacris literis optime nosti, Vt sicut lucerna editiore loco posita, lucet omnibus, qui in domo sunt, ita prælati offitio & loco, uelut specula eminentiores, uitæ quoq; sanctimonia, uirtute, modestia, humilitate, patientia, & doctrina uerbi Dei omnibus, qui in Ecclesia sunt, debent prælucere atq; præstare, unde & prælati siue Antistites ob eam rem, apud latinos dici cœpti, Et uetere græco peculiariq; uocabulo, Episcopi, idest, consideratores, speculatores, & custodes appellantur: quoniam uigilem curam atq; considerationem in eorum salutem, quibus præfecti sunt, præstare debent. Quod ipsum, te optime Antistes, sedulo curaturum, & totis uiribus ad salutem tui gregis adnixurum, sicuti summopere desideramus, Ita etiam à Deo Patre nostro cœlesti deuotis precibus & firma fide, postulamus, persuasum habentes, & Patrem cœlestem pia suorum fidelium uota clementer exauditurum, & te quoq; tui offitij atq; uocationis ita futurum memorem, ut expectationi de te conceptæ satisfacias. Cæterum, licet omnibus sis nobis uerè laudabilis, possemq; fortasse, etiam de singulis uirtutibus tuis panegyricos ædere, quia tamen didici eam tibi esse generosi animi modestiam, ut tuas laudes, nec agnoscere, nec coram ab aliquo tibi uelis prædicari, proinde silentio te potius uenerabor, quàm multiloquio. Hoc saltem cum uniuerso hoc Clero, & populo, summis uotis desidero, ut supremus ille omnium rerum moderator Deus, qui te hodie in locum hunc præcellentem sublimauit, præseruet etiam te nobis, & uniuersæ Reip. Christianæ, quàm diutissimè incolumẽ, ac fœlicissimis semper incremẽtis, in maius prouehat. In quo & sese tibi deuotissime commendamus.

CVM DOCTRINA TVM VIRTVTE PRAESTANTISSIMO VIRO, MAGISTRO IOANNI KRANTZYTZ

Capituli almæ Ecclesiæ Zagrabien. Ludimoderatori, &c.
Georgius Petrouuynay Submontanus Salutem
& sui commendationem.

GRatæ mihi fuerunt Literæ tuæ, uir ornatiß. gratior communis nostri Mecænatis, quam ad nos dedisti Oratio, habita in tam celebri doctiß. uirorum corona, quæ profectò, dum eam legerem, incredibili uoluptate me adfecit. Dij boni quantus in ea lepôs, quantus ornatus, quàm succincta dispositio? Habeant Athenæ suum Demosthenem, Glorietur Roma studiorum altrix facundissimo Cicerone, uiro in eloquentia tanto, quantam potuit uel Romani Imperij magnitudo unquam complecti, Zagrabia certè inclyta Sclauoniæ metropolis, eximio D. Paulo D. D. uiro me herclè omnibus ueræ sapientiæ dotibus cumulatißimo, non solũ gloriari, uerùm etiam ad sydera se extollere iure & potest & debet, cui tantus ac talis uir, iam patriæ penè oppreßæ, fato quodam diuino cælitus contigit, qui eam hactenus obscuram, neq; adeo apud exteras nationes claram, sua excellenti doctrina uirtuteq; admirabili, in tantum illustrauit, ut iam nomen suum non ignobile, sed magnificum, non obscurum, sed media luce splendidius in æthera usq; feratur. Accedit ad hanc fœlicitatem illustre illud ex generosißima Gyuulayna familia (Dijs ita disponentibus) sydus ac iubar, Reuerendiß. Dominus, D. VVolffgangus, almæ Ecclesiæ Zagrabien. Præsul digniß. Qui non secus isthic inter doctiß. uiros (quos ad se tanquam adamas ferrum attrahit) quàm inter lucentia astra igneus Phœbus fulget. Cuius encomia non est mearum uirium in præsentiarum recensere, prius equidem dies & oratio me deficerent, quàm id pro dignitate consequi poßem, imò lucem ipsam tenebris obfuscarem: Hic etenim uirtutum suarum uestigia ubiq; impreßit, estq; uirtute ipsa clarior, ac proinde omni laude superior. Sed de his satis, laudabilius

lius enim mihi multò uidetur hominem tenuioris facundiæ, ut ipsum me ingenuè fateor, hic silere, quàm de tanto Heroa pauca, & eadem frigida dicere. Redeo ad Epistolam tuam. Petis ne Oratio, cuius paulò ante memini, diutius in tenebris lateret, quin potius eam sub prælum Typographis mitterem: Qua in re, cum ob meam erga te obseruantiam, tum dignitatem tanti Mecænatis, tibi lubens parui, illamq; hominis doctiss. fœturam, stanneis literis Calcographo formandam tradidi, nec quicquam Orationi addere uel demere siui, sed eo ordine, uti transmissa est, e uestigio excudi curaui. Idq; eò feci animosius & hilarius, ob præsentiam digniss. Preceptoris mei Magistri Sebastiani Solidi, Poëtices apud Viennen. Professoris non pœnitendi. Hic siquidem casu interuenit, cùm in officinam Typographicam eam Orationem tulißem, quam & ipse diligenter perlegit, dignamq; ut imprimeretur iudicauit, Hosq; subscriptos uersiculos in eadem officina ex tempore edidit. Tu mi Magister Ioannes, diligentiam nostram, simul ac officium boni æquiq; consulito. Vale, & me (ut soles) amare perge. Datum Viennæ Austriæ ex Musæolo nostro, Contubernij Heidenhaim, Die decima octaua Martij, Anno Domini 1549.

IN EXCEPTIONEM Præsulis eiusdem CARMEN

M. Sebastiani Solidi Guntiani.

PRæsulis aduentu lætatur tota per agros
Tellus, quà Illyricas accola potat aquas.
Vrbs feriata ruit densis Zagrabia portis,
Lætitiæ & Domino signa dat usq; suo.
Grandæuus solita cum Maiestate Senatus
Ordine sublongo munera grata gerit.
Hæc quamuis, Præsul, tua nil prudentia curet,
Vndiq; subiectas cùm modereris opes.
Seu patriæ præsens fœcundis uteris aruis,
Quà manat liquidis Sauus amœnus aquis.
Seu tua te DVMBRI delectant mœnia campis,
Siue alibi Illyricos complacet ire lacus.
Sed tamen est aliquid Dominum sic noscere plebem,
Et reduci famulas adtribuisse manus.
Grande decus Domini, dominum dum subdita plebes
Diuinum ueluti numen honorat, amat.
Quæ dum per totas narratur fama plateas,
Et præter solitum iubila læta sonant:
Mox madidum latis Sauus caput erigit undis
Suspiciens rara Tympana pulsa manu.
Suspicit & uaria resonantia carmina uoce,
Dum phaleris niueos currere sensit equos.
Ac ubi Pontifici uenienti hæc surgere uidit,
Quem nuper dominum nouerat esse suum,
Is quoq; demulcens madidam de pectore barbam,
Placato tales fundit ab ore sonos:

Hæc

Hæc meritò fiunt, debentur & illa benigno
Heroi, cuius nobile stemma uiget.
Quo duce perpetuò fœlix respublica stabit.
Stabit & hinc ueteris Relligionis honor.
Hunc, Deus oro, Ducem serues ad Nestoris annos,
Viuet in æternos sic decus omne dies.

IN LAVDEM EIVSDEM
Præsulis Epigramma
eodem Autore.

Candida progenies, quam Laurus, & Infula uestit,
Quiq; tuos morum nomine uincis Auos.
Nos tua uirtutum quodam præconia uersu
Exilis penitus dicere Musa uetat.
Sed quia concessum est pueris laudare Tonantem,
Est simul illorum laus quoq; grata Deo.
Tu sumas solido mentis quod promimus orsu:
Te uirtus, pietas, tollit ad Astra fides.

ALIVD.

Virtutum series claros memoranda parentes
Euehit, & superis insinuatq; Deis.
Hos non ipse tua dico pietate sequaris,
Namq; bonus quisquis, quod facis, usq; probat.

AD D. PAVLVM Iureconsultum, & Vicarium Almae ECCLESIAE ZAGRABIEN. IN eius exceptionem.

M. Sebastianus Solidus Guntianus.

Ipse legens nuper uerbis tua scripta disertis,
Paule decus Phoebi, laus utriusq; fori.
Non potui tantam meritò non tollere uenam,
Quae mira ingenij dexteritate fluit,
Hanc quoq; nemo bonus dicet, quin diuite cultu
Laudanti dederint, Pallas, Apollo tibi.
Praesulis hinc quamuis laus sit permagna grauisq;,
Vel quoq; Maeonio carmine digna cani.
Vix tamen Orator potuit tàm tersius ullus
Verborum & rerum lumina tanta sequi.

ZAGRABIA LOQVITVR.

Illyriae, salue Praesul, spes maxima Regni,
Ingredere & patriae moenia nostra pater.
Te duce, Templa, Foci, Gentes, Respublica, Musae,
Laetius hoc nostro, quàm prius, orbe uirent.
Vtq; diu uigeant, Pylios te seruet in annos
Incolumem nobis, qui tenet astra poli.



